



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

De militia, & re militari. cap. xlviii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

IMPERAT. AC REGVM. 411
DE MILITIA, ET RE MILITARI.
Cap. XLVIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Militia quid sit, & ad quæ instituta fuerit.
- 2 Regi, & ad Ducem exercitus maximè spectat militari prudentia, & num. 7.
- 3 Quæ, & quot habere debeant bellicosi homines, ad hoc vt bene pugnent.
- 4 Exercitum in quolibet negotio audaciam præbet.
- 5 Qui sint meliores bellatores, an urbani & nobiles, vel agricola, & rurales, remissiuè.
- 6 Reges, ac magnanimi exercitus Duces multa in bello considerare debent.



IN superioribus capitulis multa de bello, & de ducibus belli diximus. Nunc breuiter aliqua in isto s. dicemus de militia, & ad quæ fuit instituta. † Militia est quædam species prudentiæ, per quam superantur hostes, & bonum ciuile, & commune: ex hoc autem apparet, ad quid sit militia instituta. Sic quælibet ciuitas, & regnum indiget duplici virtute, & duplici prudentia, videlicet legum positiua, & militari. Itaque militaris quædam species prudentiæ est, per quam superantur hostes. Nam sicut leges principaliter respiciunt commune bonum, sic & militia principaliter instituta est ad defensionem communis boni, vt ciuitatis, aut regni. Ideo ad milites principaliter spectat bene, & fortiter se habere in opere bellico, & per actiones bellicas opprimere impedimenta hostium, & secundum iussuionem regiam impedire omnes seditiones ciuium, per quas turbari potest tranquillitas ciuium, & commune bonum. † Hanc autem prudentiam militarem maximè debet habere Rex; nam scire quomodo committenda sint bella, & qualiter cautè remoueri possint impediencia commune bonum, maximè spectat ad Regem, & ad Ducem exercitus. Itaque militia videtur esse quædam prudentia operis bellici ordinata ad commu-

ne bonum; videtur enim se habere miles in opere bellico sicut magistri, & docto. in scientijs. Quare sicut nullus efficiendus est magister in alijs scientijs, nisi constet ipsum esse doctum in arte illa, sic nullus assumendus est ad dignitatem militarem, nisi sit multum expertus in arte bellica, & multum industrius in opere bellico. Nam debet ducere pedestrium, vel equestrium esse magistri bellorum, & ordinatores aliorum in bello. † Quæ, & quot habere debeant homines bellicosi, ut bene pugnent, quantum ad præsentem spectat, enumerare possumus octo. Rex eligit homines, qui possint sustinere magnitudinem ponderis armorum. Nam inermes à quacunque parte feriantur, succumbunt. Secundo, bellicosi homines debent sustinere assiduos labores, & magnos. Tertio, miles debet tolerare parvitatem victus. Quarto, non debet curare miles de incommoditate iacendi, & standi. Quinto, non debet miles quasi appetere corporalem vitam. Sexto, non horrere sanguinis effusionem. Septimo, debet miles habere aptitudinem, & industriam, quando est in conflictu, ad protegendum se, & feriendum alios. Octavo, verecundari, & erubescere, eligere turpem fugam. Nam ut dicitur tertio Ethic. apud illos sunt viri fortissimi, apud quos honorantur fortes. Inter cetera autem, quæ reddunt hominem bellicosum, est diligere honorari ex pugna, & erubescere turpem fugam. Sed in opere bellico multum valet exercitatio armorum. Nam recitat Vegetius in libro de re militari, exercitationem armorum, & industriam bellandi fuisse ea, quæ terrarum orbem Romano populo subiecerunt. Nam quid potuisset potentia Romanorum aduersus fortitudinem Hispanorum? quid potuisset contra prudentiam Græcorum? quid potuisset contra multitudinem Orientis, nisi plus illis fuissent exercitati in armis, & magis habuissent bellandi industriam? Unde multoties contingit, quod prudentes in rebus alijs, propter inexercitium armorum non sunt industrii in bellis. † Exercitium enim in quolibet negotio præbet audaciâ, ut non metuat illud facere. Inde est, quod tantum valet armorum exercitatio, quod in bellorum certamine paucitas exercitata plus valet (si sit prompta) ad victo-

ad victoriam. Et multitudo rudis, & indocta semper est parata ad fugā. Itaq; illi bellatores eligēdi sunt ad pugnā, in quibus plura reperiūtur de ijs, quæ requirūtur ad pugnā. † Qui sunt meliores bellatores an urbani, & nobiles, vel agricolæ, & rurales, vide Veget. in lib. de re militari. Sed in equestri pugna magis eligēdi sunt ipsi nobiles. Et in pugna equestri, & pedestri nimiū valet belladi exercitatio, & sagacitas sociata erubescētiē fugiendi. Sciendū tamē, quod vt nobiles ex omni parte efficiātur strenui bellatores, assuescendi sunt ad portandū armorum pondera, & ad sustinendum labores, & motum brachiorū, & aliorum membrorū corporis, vt requirit operatio bellica. Item bellantes assuescendi sunt ad gradū, & passum bellicum, vt gradatim pergant, ita vt quilibet se in suo ordine teneat. Item exercitandi sunt homines bellicosi ad inuadendū hostes, & ad percutiendū armis, & ad emittendū tela, siue iacula, & ad percutiendum lancea, & ad iaciendum sagittas, & ad projiciendum lapides fundis, & tormentis bellicis. Item debent milites exercitari ad ascendendos equos, & debent exercitari in alijs multis secundum consuetudinem regionis.

Et quia negotia bellica inter cetera periculosa esse videtur, ideo in eis est magna diligentia adhibenda. Nam recitat Vegetius, dixisse Catonē, quod in alijs rebus, si quid erratum est, potest postmodū corrigi; delicta, vel negligētię bellorū emendationem nō recipiunt, sed statim pœna errorem cōsequitur; quia imperitē, & imprudēter pugnantes, vel cōfessim pereunt, vel in fugā versi adeo efficiuntur timidi, quod contra suos victores vix, aut nunquam audent bella cōmittere. Ideo vltra ea, quæ diximus, vtile est in exercitu facere fossas, & construere castra, vt hodie famosi, & experti Duces faciunt. † Et aduertant Reges, & magnanimi Duces exercituum, quia multa sunt consideranda in bello, si debeat publica pugna committi; melius enim est pugnam non committere, quā absque debita prouisione fortunæ, & casui se exponere. In vniuerso igitur Rex, aut Dux exercitus in omnibus debet esse vigilans, sobrius, prudens, & industrius, quia multa, vt dixi, sunt consideranda prius, quā eligat publicam pugnā committere.

Dd 4 Ideo,

7 Ideo, ut dixi, † Rex in rebus bellicis debet habere maximam peritiam, & debet scire qualiter ordinanda sint acies, & ideo debet habere armorum, & belli maximam experientiam, & debet scire quando debeat contra hostes, vel aduersarios dimicare, & quot modis, & qualiter debeat hostes inuadere. Debet etiam scire, quibus cautelis debet uti, ne suus exercitus lædatur in via, & qualiter facilius possit hostes debellare. Debet autem scire Dux exercitus, quo tempore melius est obsidere ciuitates, & castra; & quot sint genera machinarum, per quæ impugnari possint ciuitates obsessæ, & deuinci; & qualiter edificanda sint castra, aut ciuitates, ne per pugnam ab obsidentibus facilius deuincantur. Debet etiam Dux exercitus scire, qualiter construenda sit nauis, & qualiter construenda sint triremes, & biremes; & qualiter committendum sit nauale bellum. Ideo aduertat sacra Regia maiestas, quia in hoc calamitoso tempore omnis in ferro est salus. Sed ut latissimè dixi in toto præfati tractatu de bello iusto, & iniusto, bellū debet esse iustum, & apud veros Dei cultores illa bella pacata sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur.

DE IUSTITIA, ET DE EXCELLEN-
tia iustitiæ. Cap. XLIX.

S V M M A R I V M.

- 1 Iustus Rex iustitiam diligere debet.
- 2 Iustitiæ definitio, & num. 3. 4. 6. 8. 11. 13.
- 5 Iustitia alijs virtutibus moralibus præponi debet.
- 7 Responsum quoddam Alex. Magni factum.
- 9 Iustitiam ministrans leges obseruare debet, vitamq; suam emendare, & num. 10.
- 12 Rectè iudicans remunerationis præmii sperare non debet.
- 14 Exempla quædam pulcherrima gentilitatis paganorum.
- 15 Iustitiæ administrator, antequam aliquem puniat, maturè inquirere debet de veritate.
- 16 Mortem potius quis subire debet, quàm timore alicuius supplicij aliquem iniuste punire.